

EMENDATIONUM

IN

ARISTOTELIS ETHICA NICOMACHEA ET POLITICA

SPECIMEN I.

SCRIPSIT

GUILELMUS ONCKEN

DR. PHIL.

HEIDELBERGÆ,

PROSTAT APUD BANGEL & SCHMITT, LIBRARIOS.

MDCCCLXI.

LUDOVICO KAYSERO

PRÆCEPTORI AMANTISSIMO

D. D.

AUCTOR.

Locorum qui tractantur prospectus.

Codicum qui afferuntur signa Bekkeriana.

H^a	Marcianus 214.
I^b	Coislinianus 161.
K^b	Laurentianus 81. 11.
L^b	Parisiensis 1854.
M^b	Marcianus 213.
S^b	Laurentinus 81. 21.

Citantur paginae et versus editionum Bekkerianarum quae sunt

Ethica Nicomachea. Berolini 1845.
De republica ll. VIII. Berolini 1855.

Corrigenda lecturis.

—

p. 3 v. 15 a margine inf. leg. *γνῶσιν* pro *γῶσιν*.
„ 11 „ 4 „ „ „ „ *διὸ* pro *δίο*.
„ 11 „ 7 „ „ „ „ 7 pro H.
„ 23 „ 14 „ „ „ „ hac pro hoc.
„ 23 „ 15 „ „ „ „ approbet pro appropet.
„ 24 „ 14 „ „ „ „ Nos pro Nobis.
„ 27 „ 14 „ „ sup. „ *χώραν* pro *χῶραν*.

Eth. p. 2. 1—5.

Ἀρ᾽ οὖν καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις αὐτοῦ (τοῦ ἀγαθοῦ) μεγάλην ἔχει ῥοπήν, καὶ καθάπερ τοξόται σκοπὸν ἔχοντες, μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος; εἰ δ᾽ οὕτω, πειρατέον τύπῳ γε περιλαβεῖν αὐτὸ τίποτ᾽ ἐστὶ καὶ τίνος τῶν ἐπιστημῶν ἢ δυνάμεων.

Ad sententiarum nexum illustrandum haec nobis praefanda sunt:

Ethica et Politica (arctiore sensu) partes sunt conjunctissimae politicae disciplinae quam latius patente dicit Aristoteles sensu. Haec quidem politica continet *τὸ καλὸν καὶ τὸ δίκαιον* honestum et justum quorum descriptionem Ethicorum libris, quorum institutionem Politicorum libris arctiore illo sensu attribuere possumus (Eth. 2, 24). Honestum et justum continent omnino bonum humanum (*τἀνθρώπινον ἀγαθὸν* 2, 15), est igitur politica ars quae in bono humano i. e. in beatitudine humana versatur, est *ἡ περὶ τἀνθρώπινα φιλοσοφία* (Eth. 201, 23).

Quum vero haec *εὐδαιμονία* sit *ἐνέργεια κατ᾽ ἀρετήν* (Eth. 23, 19), haec ea ars est quae non Platone auctore definit tantum hujus beatitudinis notionem, ut sciamus modo quid sit honestum et justum, qui sit beatitudinis fons, sed ea est quae nos docet, quomodo fiamus ipsi honesti justi, itaque beati: *τὸ τέλος ἐστὶν οὐ γνῶσις, ἀλλὰ πρᾶξις* 3, 12.

Etsi igitur scientiae politicae finis non est cognitio, sed actio honesti justique, tamen hac cognitione non magis carere possumus, quam opifex instrumento ad opus faciendum; prius quam enim agere possimus hoc illud, ante nos scire oportet quale sit quod agendum sit. Hoc ipsum omnis actionis fundamentum atque instrumentum nobis exhibet cognitio rei quae et finem ipsum et rationem ejus assequendi illustrat. Hunc si sententiarum cursum persecuti erimus, quid verba illa quae excerpsimus omnino sibi velint perspicuum erit: exprimunt quidem disertis verbis hoc in Ethicorum prooemio pro hujus loci natura adumbrandam esse beatitudinis notionem, ne is qui ad actionem boni arcessatur de fine itaque de ratione et via hujus actionis dubius haereat.

Locum nostrum talem exhibemus qualis ab omnibus editoribus et veteribus et recentioribus sine ulla majore discrepantia traditur. Sola dissensio in interpunctione est, quod alii ut Zellius comma habent post *τοξόται* ita ut *σκοπὸν ἔχοντες* ad *τυγχάνοιμεν* pertineat, allii ut Bekkerus hoc commate ommisso *σκοπὸν ἔχοντες* ad *τοξόται* referunt, quod vero minoris momenti est.

Omnia nostro loco expedita sunt praeter illud *σκοπὸν ἔχοντες* quod nos, quotiescunque in hunc locum incidebamus, vexabat atque ad aliam investigandam explicationem excitabat atque quam adhuc habemus. Ante omnia hoc monendi sunt legentes hic non de eo fieri sermonem, ut omnino habeamus finem — hunc enim jam habet, qui priorem paginam perlegit — sed ut accurate cognoscamus qualis finis sit, qua cognitione quasi armati eum assequamur. Hoc quidem omnes graeci sciunt finem politicae scientiae *τὴν εὐδαιμονίαν* esse, sed de hac re, ut omni aetate paene omnes, dissentiunt qualis vera beatitudo quibusque rationibus assequenda sit, ut ea quae sequuntur capita docent.

Hoc igitur curandum est, ut definiatur qualis beatitudo, verae politicae finis sit. Quod num verbo *ἔχειν* cum *σκοπὸν* conjuncto exprimi possit, vel maxime dubito. Dici quidem potest *ἔχω τέχνην, ἐπιστήμην* teneo artem „ich habe inne“,

eodem vero sensu *ἔχειν σκοπὸν* dici posse, ut significet, accurate novisse finem, quum *σκοπὸς* nihil cum arte aliqua habeat commune, priusquam credam, exemplis comprobandum erit.

Interpretes quidem et veteres et recentiores, quum non viderent quid huic loco opus esset, ne conati quidem sunt hunc sensum verbo *ἔχειν* vindicare, sed omnes fere ita vertunt, quasi non id ageretur, ut cognosceremus veram rei notionem, sed ne omnino sine ulla rei notitia essemus.

Lambinus vertit:

Scopo aliquo nobis tanquam sagittariis proposito id quod expetere nos oportet facilius consequamur: quam versionem Zellius hunc in modum „castigat": hoc perspecto scopum certum nobis propositum habentes tanquam sagittarii, id quod expetere nos oportet facilius consequemur?

Uterque illud comma post *τοξόται* habuit.

Bekkerum secutus vertit Rieckherus:

Sollten wir nicht durch sie das Rechte besser treffen können, wie Schützen, die ein Ziel haben?

Omnes negligunt summam rei non esse finem habere, sed cognitionem habere, (*γνῶσιν ἔχειν*) sine qua finis nullus est.

Gaudemus hunc sensum quem solum Aristoteleum esse nobis persuasum est facillime paene nulla vulgatae lectionis mutatione restitui posse, si interpungimus et legimus: *καὶ καθάπερ τοξόται σκοποῦ, ἔχοντες* (sc. *γνῶσιν τοῦ ἀγαθοῦ*) *μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος;*

Ita conjunctis quae conjungenda sunt (*τοξόται σκοποῦ*) et diremtis quae dirimenda sunt, hunc sensum praebet locus:

Num igitur etiam ad vitam cognitio ejus (boni) magnum habet momentum utque sagittarii finem (assequuntur), habentes (eam, cognitionem) facilius propositum assequemur?

Ne quem offendat *ἔχοντες* ita absolute positum: saepe enim hoc fit, si objectum ut hoc loco facile ex nexu suppleri potest.

cf. Plato Pol. II. 357 B. *οἷον τὸ χαίρειν καὶ αἱ ἡδοναὶ ὅσαι ἀβλαβεῖς καὶ μηδὲν εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον διὰ ταῦτα γίνεται ἄλλο ἢ χαίρειν ἔχοντα.* ib. VIII. 545 B. *εὐδαιμονίας πέρι τοῦ ἔχοντος.* Arist. Eth. 155. 16. *τὸ γὰρ ἐξ αὐτοῦ οἰκεῖον τῷ ἀφ' οὗ οἷον ὀδοὺς ἢ θρὶξ ἢ ὁτιοῦν τῷ ἔχοντι.* Pol. 94, 30 *ἢ μηθὲν ὄφελος — τοῖς ἔχουσιν* [cf. Eth. 22. 7].

Eth. 57, 23 *ἡ μὲν λύπη ἐξίστησι καὶ φθείρει τὴν τοῦ ἔχοντος φύσιν.*

Totus locus illustratur loco ex Politicorum libris allato: Pol. 116, 8. *ἐπεὶ δὲ δύ' ἐστὶν ἐν οἷς γίνεται τὸ εὖ πᾶσι, τούτοιν δ' ἐστὶν ἓν μὲν ἐν τῷ τὸν σκοπὸν κεῖσθαι καὶ τὸ τέλος τῶν πράξεων ὀρθῶς, ἓν δὲ τὰς πρὸς τὸ τέλος φερούσας πράξεις εὑρίσκειν· ἐνδέχεται γὰρ ταῦτα καὶ διαφωνεῖν ἀλλήλοις καὶ συμφωνεῖν· ἐνίοτε γὰρ ὁ μὲν σκοπὸς ἔκκειται καλῶς, ἐν δὲ τῷ πράττειν τοῦ τυχεῖν αὐτοῦ διαμαρτάνουσιν· ἐνίοτε δὲ τῶν μὲν πρὸς τὸ τέλος πάντων ἐπιτυγχάνουσιν — δεῖ δ' ἐν ταῖς τέχναις κ. ἐπιστήμαις ταῦτα ἀμφότερα κρατεῖσθαι, τὸ τέλος καὶ τὰς εἰς τὸ τέλος πράξεις.* —

Eth. 2, 19. *ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται, πολιτική τις οὖσα.*

Zellius hic animadvertit (II. 1): — „ut autem sensus concinnus existat, aut ad *μέθοδος* addendum est pronomen demonstrativum, quod latini interpretes faciunt, aut ita accipiendum, quasi esset *ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφιεμένη πολιτική τίς ἐστι* —".

Ignorat Zellius quod rectissime hic excidisse suspicatus est id jam in codice qui est optimae notae M^b inveniri ubi legimus: *ἡ μὲν οὖν μέθοδος αὕτη τούτων ἐφίεται* —.

Quae lectio quomodo adhuc negligi potuerit, quamquam eam et concinnitas sententiae et latini interpretes requirunt, plane non videmus.

Eth. 4, 12—18.

Ἴσως οὖν ἡμῖν γε ἀρκτέον ἀπὸ τῶν ἡμῖν γνωρίμων. διὸ δεῖ τοῖς ἔθεσιν ἦχθαι καλῶς τὸν περὶ καλῶν καὶ δικαίων καὶ ὅλως τῶν πολιτικῶν ἀκουσόμενον ἱκανῶς· ἀρχὴ γὰρ τὸ ὅτι καὶ εἰ τοῦτο φαίνοιτο ἀρκούντως οὐδὲν προσδεήσει τοῦ διότι. ὁ δὲ τοιοῦτος ἢ ἔχει ἢ λάβοι ἂν ἀρχὰς ῥαδίως.

Sensus hujus loci hic est:

Universae veri explorandi atque investigandi artis hoc est proprium, ut ex notis rebus ad ignotas res procedat, quae regula veterrima (Herod. II, 33) ἐγὼ συμβάλλομαι τοῖσι ἐμφανέσι τὰ μὴ γιγνωσκόμενα τεκμαιρόμενος. Isocr. Dem. §. 34 τὸ γὰρ ἀφανὲς ἐκ τοῦ φανεροῦ ταχίστην ἔχει τὴν διάγνωσιν] quum in quavis valet doctrina tum in humanitatis disciplina quam Aristoteles politicam vocat omnium rerum momentum tenet et quasi ἥμισυ παντὸς est (cf. 11, 10).

Qui enim de honesti et justi natura, de beatitudine humana philosophari vult cujus cognitio est reconditissima, eum oportet de se ipso expertum esse vim illarum rerum atque potestatem. Qui igitur de politica, quae omnis vitae humanae quasi clavem obtinet et recte audire et ipse aliquid suum proferre in animo habet, eum oportet a puero ad illas virtutes esse informatum itaque rerum quarum accuratiorem et subtiliorem nondum habeat notionem speciem quandam anticipatam pectore recepisse; neque ullo modo fieri potest, ut qui non usu cognoverit extra honestum et justum veram beatitudinem non esse (τὸ ὅτι) quaestionem illam solvat, cur his virtutibus illa constet, (τὸ διότι), quum contra qui illud ὅτι habeat facillime ad hoc διότι procedat.

Ἃ γὰρ δεῖ μαθόντας ποιεῖν, ταῦτα ποιοῦντες μανθάνομεν. E. 22, 10.

Haec sententia eo quo nobis illa enuntiata quae excerpsimus traduntur ordine minus concinne exprimitur, quam si

transpositione quadam quae sensu arcte cohaerent ea loco quoque copulaverimus.

Optimam hujus vitii intelligendi ansam exhibet illud *ὁ δὲ τοιοῦτος* quod quorsum pertineat dubitari nequit. Jam vero quid hoc sit quaeritur, quod illud *ἔθεσιν καλῶς ἠγμένος* et *ἀκουσόμενος ἱκανῶς* tota quadam enuntiatione ab illo *ὁ δὲ τοιοῦτος* divulsum sit?

Num id quod interpositum est vel ad superiora vel ad posteriora intelligenda tam necessarium est, ut hanc sententiarum conjunctionem non separare atque distrahere non possit?

Minime scilicet ut uno aspectu intellexeris, immo sententiam quae est *ἀρχὴ γὰρ — διότι* multo melius post *γνωρίμων* atque ante *διὸ δεῖ* legi manifestum est, quia hoc loco apta et conjuncta non jam dirimit et quae antecedunt non minus illustrat atque explicat, quam quae insequuntur.

Tale quiddam sensisse videtur Giphanius qui enuntiationem quae est *διὸ δεῖ — ἱκανῶς* parenthesin habuit.

Ita is quem nos sic restituimus ordo, ut nihil jam quod desideres relinquatur, hic est:

Primum enim rem ipsam novisse nos oportet, qua cognita facile causam et fontem ejus inveneris. Quare qui de honesti et justi principiis (*ἀρχαὶ*) philosophari in animo habet, eum oportet his virtutibus ipsum instructum esse; talis autem principia illa aut jam habet aut facile obtinet et percipit.

Eth. 20, 22.

Ἔοικε δὲ καὶ ἄλλη τις φύσις τῆς ψυχῆς ἄλογος εἶναι, μετέχουσα μέντοι τοῦ λόγου. τοῦ γὰρ ἐγκρατοῦς καὶ ἀκρατοῦς τὸν λόγον καὶ τῆς ψυχῆς τὸ λόγον ἔχον ἐπαινοῦμεν.

Priusquam ad ipsam hujus loci aggrediamur interpretationem atque emendationem, haecce nobis praefanda sunt:

Aristotelis quidem non minus quam Platonis instituto politica ea ars est quae civium animos regulis legibusque

quae jam puerorum teneris ingeniis impressae sunt per totam vitam coerceat atque gubernet, bene moratos confirmet atque instiget, depravatos in rectam viam revocet omnique animi morbo aptissimum quodque adhibeat remedium (14, 10. 22, 17. etc.), ita ut vere politicus homo quasi animorum medicus sit corporum medico eodem modo praestantior atque animus corpore pretiosior est. (19, 25.) Quandoquidem non minus arcte cum politica animorum cognitio conjuncta est, quam cum medicina corporum accurata exploratio, Aristoteles hujus quoque disciplinae sane quantam rationem debuit habere, quod quidem tanta exsecutus est perfectione atque absolutione, ut quod elegantius et articulatius de animorum affectibus dici possit vix inveneris.

Atque tanquam caput omnis vitae animalis ejusque cognitionis effert conjunctionem illam quae intercedit inter rationem (ὁ λόγος) ceterasque pectoris facultates, quae aut illius participes aut expertes sunt.

Ita quidem tres discernit pectoris humani partes: rationem (λόγος, διάνοια), cupiditates quae illius participes sunt (θυμὸς καὶ ἐπιθυμία), instinctus naturales quae illius expertes sunt (ἄλογα πάθη cf. 40, 1).

Horum seminum ex quibus pectus nostrum divinitus coaluit naturae insita est perpetua quaedam dissensio atque discordia, quum rationis auctoritati quae a natura tanquam domina ceterorum instituta est haec refragentur atque reluctentur semperque omnibus vinculis soluta temere suoque nutu aveant ruere, ita ut animus noster continua flagret contentione quam rationis gravitas atque austeritas cum affectuum illorum quorum satellites atque ministri sensus sunt, agitat frivola licentia atque libidine.

Hujus luctationis perspicuam Aristoteles adumbravit imaginem quum permultis locis tum imprimis pag. 126, 4—17 ubi speculo quasi pectus tuum cerneres repercussum, in quo ira et studium [θυμὸς καὶ ἐπιθυμία non „Zorn und Begierde“ ut omnes vertunt, sed „Hass und Liebe. Ab- und

Zuneigung" (cf. 39 26, etc.) magni illi animalis vitae nervi et motores, 40, 1.], utrimque concertant consilium [ἡ προαίρεσις] a rationis auctoritate solutum modo huc modo illuc trahere.

Ut quisque maxime aut rationis gravitatem aut sensuum libidines sequitur, ita morum ejus species (τὸ ἦθος) vel optima vel pessima exsistit. Hac ratione discernuntur homines *ἐγκρατεῖς, ἀκρατεῖς, ἀκόλαστοι.*

Eth. 118, 25. *ὁ μὲν ἀκρατὴς εἰδὼς (ὅτι) φαῦλα πράττει διὰ τὸ πάθος, ὁ δ' ἐγκρατὴς εἰδὼς ὅτι φαῦλαι αἱ ἐπιθυμίαι οὐκ ἀκολουθεῖ διὰ τὸν λόγον.* Eth. 128. 8 *ὁ μὲν τὰς ὑπερβολὰς διώκων τῶν ἡδέων — διὰ προαίρεσιν, δι' αὐτὰς καὶ μηδὲν δι' ἕτερον ἀποβαῖνον, ἀκόλαστος.*

Quum igitur et *ἐγκρατὴς* et *ἀκρατὴς* communem habeant veri rectique sensum atque cognitionem, eo tamen differunt quod unus cupiditatum dominus est solutus totusque ex se aptus, alter modo dominus modo servus earum *διὰ πάθος.*

Quoniam vero hoc ipso nititur fundamento vera virtus, ut cupiditates rationis vi coerceantur atque cohibeantur, is qui hac in re sui compos est laudatur, qui non est reprehenditur. Differt vero *ἀκρατὴς* a mere vitioso quem Aristoteles *ἀκόλαστον* vocat eo, quod non ut hic in vitiorum luto cum voluptate quadam se volutat, sed quum semper libidines frenis cohibere studeat, invitus quasi rationis vi remissa in vitium cadit.

Eth. 118, 13 *ὅτι γὰρ οὐκ οἴεταί γε ὁ ἀκρατευόμενος πρὶν ἐν τῷ πάθει εἶναι φανερόν.*

Neque hoc nimis severe castigandum est, namque *ἔστι δὲ (μὲν?) χαλεπὸν ἐνίοτε διακρῖναι ποῖον αἱρετέον καὶ τί ἀντὶ τίνος ὑπομενετέον, ἔτι δὲ χαλεπώτερον ἐμμεῖναι τοῖς γνωσθεῖσιν* 37, 25—27.

Ut igitur sui impos homo ob hanc animi imbecillitatem in meritam incurrit reprehensionem, ita hoc saltem agnoscen-

dum atque tanquam excusationis vice efferendum est, quod non ratione et consilio voluptatibus se ludibrio tradit, sed quasi inermis atque improvisus incursionibus earum opprimitur. Unde hoc usu venit, ut nos quoque tanquam excusationis gratia in talibus hominibus dijudicandis dicere soleamus: der Geist ist willig, das Fleisch ist schwach, vel tale quid.

Nunc denique his omnibus praemonitis ad locum nostrum cujus minorem tantum partem excerpsimus redire possumus (20, 25—34) ubi Aristoteles solita arte atque singulari rerum experientia hoc ipsum certamen extremis lineis adumbravit.

Hanc ipsam descriptionem antecedunt verba illa quae hic nobis examinanda proposuere: *τοῦ γὰρ ἐγκρατοῦς καὶ ἀκρατοῦς τὸν λόγον καὶ τῆς ψυχῆς τὸ λόγον ἔχον ἐπαινοῦμεν*, tres codices (H^a K^b M^b) habent *ἀκρατοῦς καὶ ἐγκρατοῦς*.

Quid de hoc loco viri docti adhuc senserint videbis ex Zellii commentario p. 58—59. Nos quidem iis quae praefati sumus innixi haec statuimus:

Primum in eo qui sui compos est non hoc laudatur quod rectum videt ac bene discernit, id quod etiam alterius est, sed quod facit quae ratio ipsi praescribit cupidinum illecebris non seductus.

Deinde in eo qui sui impos est hoc ipsum omni laude efferendum est, quod se peccare intelligit seque corrigere studet, non ut *ἀκόλαστος* omnem conscientiae suae vim consulto obtudit atque exstinxit, quum illud solum reprehendatur, quod minus firmus sit animo, quam ut continuo sequatur rationis praecepta.

Inde sequitur, quum h. l. non de rectae rationis et actionis consensu qui solus in eo laudari potest qui sui compos est, sed de ratione ab aliis animi facultatibus soluta (*τῆς ψυχῆς τὸ λόγον ἔχον*) disseratur, — illud *τοῦ ἐγκρατοῦς* hic plane ferri non posse quod glossema esse

facile intellexeris imprimis, si illorum trium codicum secutus sis lectionem ubi ἐγκρατοῦς post ἀκρατοῦς insertum est.

Magnum nostrae conjecturae praesidium hoc est, quod toto loco inde a versu 20 usque ad v. 34 de nulla alia re nisi de ea vi exponitur quam habeant τὰ ἄλογα τῆς ψυχῆς, quibus hoc tribuendum est quod ἐπὶ τἀναντία αἱ ὁρμαὶ τῶν ἀκρατῶν torqueantur etc. atque ne unum quidem verbum quod in ἐγκράτειαν quadret pronuntiatur de qua, ut exspectaveris, suo demum loco p. 21, 2 exponere incipit Aristoteles, quum primum nihil jam de ratione soluta ejusque adversariis, sed de consensu rectae rationis actionisque sermo fit.

Eth. 39, 8 — ἢ δεῖξαι βουλόμενος ἀφεῖναι, ὡς ὁ τὸν καταπέλτην.

ib. 12. — καὶ δεῖξαι βουλόμενος, ὥσπερ οἱ ἀκροχειριζόμενοι πατάξειεν ἄν.

Valde mirum nobis videtur esse, quod veterrima illa conjectura, ut v. 12 θῖξαι pro δεῖξαι scribatur, quam Giphanius et Lambinus secuti sunt quamque Scaliger quoque ex sua alienane auctoritate non liquet suo exemplo ascripsit, ad hunc usque diem in textum nostrum nondum recepta sit.

Nos quidem huic conjecturae quae, ut docet lectio codicis M[b] qui v. 8 δίξαι habet, vulgatae scripturae tam apta est, a sensu quoque patrocinari in animo habemus.

Ut verbum quod est δεῖξαι v. 8 ubi affertur qui usum catapultae volens demonstrare imprudens missile emittit, aptissimum est, ita nostro loco cui plane alia ratio inest ineptissimum habendum est. Sed proficiscamur ex ea imagine quam Aristoteles ad sententiam illustrandam egregio suo more proponit, ex σκιαμαχίᾳ pancratiastarum quae ipsam συμπλοκὴν anteire solebat.

Consueverant enim pancratiastae, priusquam inter se arte amplecterentur et alter alterum humi prosternere studeret, ἀκροχειρίζεσθαι i. e. non ipsis brachiis inter se com-

plecti, sed manibus alter alterum captare et prehensare. (Steph. s. v. *ἀκροχειρίζεσθαι*).

SUIDAS s. v. *ἄκραις ταῖς χερσὶ γυμνάζεσθαι.*

Quod videlicet nullo alio fiebat consilio, nisi ut dolo et captu alterutrum ad latus dandum pelliceret.

Neuter igitur volebat quidquam demonstrare, sed variis captibus celare studebat quorsum revera totius corporis vim directurus esset.

Inde sequitur ejus qui nolens aliquem verberavit actionem huic pugilum mori comparari non posse, si nil nisi monstrare voluerit, immo qui hanc monstrandi voluntatem excusaverit in verberando, hunc meritissimo omnium risum moturum fore. Tantum enim interjectum est spatii inter monstrandi et verberandi vim, ut ne impudens quidem reus sperare possit se tali excusatione poena absolutum fore.

Contra quam saepe fit, ut qui leviter tangere voluerit aliquem verberet.

Fac velut hominem firmum atque robustum alium hominem debilem atque imbecillum ita tangere, ut ipse putet se nullam ei vim intulisse, hic vero sibi vehementer verberatus esse videatur. Quodsi haec causa adjudicem veniat, ille rectissime dicat se non magis consilium verberandi habuisse quam pugiles *σκιαμαχοῦντας.* His de causis censemus *θῖξαι* non legi nequire: hac demum facillima mutatione quae codicum vestigiis nullam vim affert et imago suam obtinet concinnitatem et tota sententia clara et dilucida existit.

46, H--12. — *ὥσπερ οὐδ' ἀφέντι λίθον ἔτ' αὐτὸν δυνατὸν ἀναλαβεῖν· ἀλλ' ὅμως ἐπ' αὐτῷ τὸ βαλεῖν καὶ ῥῖψαι· ἡ γὰρ ἀρχὴ ἐπ αὐτῷ. οὕτω δὲ καὶ τῷ ἀκολάστῳ ἐξ ἀρχῆς ἐξῆν τοιούτοις μὴ γενέσθαι, δίο ἑκόντες εἰσίν· γενομένοις δ' οὐκέτι ἔξεστι μὴ εἶναι.*

Sermo fit hoc capite de culpa eorum qui vitiis laborant tam inveteratis, ut jam quid committant nesciant, decernitur-

que inscitiae exceptionem ad eos non valere, quia scire debuerint ad quid assuescerent quantaque vis esset consuetudinis.

Haec sententia iis quae excerpsimus exemplis illustratur, ut efficiatur quicunque immoderate licenterque vivens se nescire quid faciat excusare velit, eum oblivisci, hujus ipsius inscitiae culpa se ipsum teneri.

Quis enim ignoret lapidem semel projectum revocari non posse, quodque effectum atque absolutum sit, id rescindi non posse?

Jam examinemus textum nostrum, quoad bene, quoad male se habeat.

Primum quidem offendit illud *βαλεῖν καὶ ῥῖψαι*, quod in omnibus recentioribus editionibus retinetur; quid enim hoc sibi vult: jecisse et jecisse? Quid hic desideretur uno aspectu ex versione quae est apud Zellium Lambiniana inveneris ubi legeris: erat in ejus potestate — in manum eum sumere et jacere, statimque correxeris *λαβεῖν* pro *βαλεῖν*. Hoc jam in altera Veneta editione inest et a Lambino, Victorio, Argyropylo, Aretino retinetur cf. Zell. II, 96.

Non magis haerebis dubius, utrum legas *γενέσθαι* cum plurimis codicibus, an *γίνεσθαι* cum L[b] in ea sententia ubi nexus non perfectum hominem, sed fientem, non adultum vitium sed primas radices agens significat; quare hoc loco non *γενέσθαι* et *γενομένοις*, quae omnino nihil habent contrarii, sed *γίνεσθαι* et *γενομένοις* opposita sunt.

Neutra emendatio quidquam habet violenti, una veteres interpretes qui optime audiunt testificatur, altera codicis unius saltem auctoritatem, utraque ineptiarum in locum substituit quae et universe et huic loco aptissima sunt.

Eth. 49, 29—34. *δοκεῖ δὲ καὶ ἀλαζὼν εἶναι ὁ θρασὺς καὶ προςποιητικὸς ἀνδρείας. ὡς οὖν ἐκεῖνος (ὁ ἀνδρεῖος) περὶ τὰ φοβερὰ ἔχει, οὕτως οὗτος βούλεται*

φαίνεσθαι· ἐν οἷς οὖν δύναται μιμεῖται. διὸ καί εἰσιν οἱ πολλοὶ αὐτῶν θρασύδειλοι· ἐν τούτοις γὰρ θρασυνόμενοι τὰ φοβερὰ οὐχ ὑπομένουσιν.

Sententia quae huic loco subjecta est tam perspicua est tamque extemplo intuentibus sub oculos cadit, ut quod saepius fit, quid in textu male se habeat negligi facillime potuisse videatur.

Quare haec ipsa potissimum nobis efferenda sunt ex quibus haec corruptela statim perspiciatur. Et quidem cardo sententiae momentumque definitionis vocis quae est *θρασὺς* hoc est, quod qui fortitudinis speciem quasi vestem induerunt, in ipso periculo ea quam jactaverunt virtute destituti ignave pedes referunt.

Primum illud jactaverunt quod summi momenti est, quia is qui ignave se recipit non jam fortitudinem jactat, eo nos adducit ut legamus *θρασυνάμενοι* pro *θρασυνόμενοι.*

Deinde illud *ἐν τούτοις* quod ut recte Zellius animadvertit nonnisi ad *ἐν οἷς δύναται μιμεῖται* referri potest, quia definitionis summam non satis exprimit, conjiciamus pro *ἐν αὐτοῖς* in ipsis rebus sive periculis in textum irrepsisse quod absolute legimus Thuc. I, 22 *ἕκαστοι ἢ μέλλοντες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες,* quod conjuncte legimus p. 50, 9: *καὶ οἱ μὲν θρασεῖς προπετεῖς καὶ βουλόμενοι πρὸ τῶν κινδύνων ἐν αὐτοῖς δ' ἀφίστανται.*

Hunc vero locum et ipsum alia ex parte correctura egere statim apparebit.

Primum enim post *κινδύνων κινδυνεύειν* illud quod Lipsius ex editionibus Basileensibus proponit (Zell II. p. 100) in textum recipiendum est, deinde quod enuntiationis concinnitas requirit aut pro *ἐν αὐτοῖς δ'* legendum est *ἐν αὐτοῖς,* aut pro *βουλόμενοι* scribendum *βούλονται,* quod ob eandem illam causam praeferimus, quod hic praesentis temporis participium de ea actione quae perfecta est, quum altera incidit, non magis hic ferri posse ducimus quam illic.

Hoc sane certissimum est in participiali structura illud δὲ post ἐν αὐτοῖς nullo modo retineri licere, nisi forte dici posse putaveris hunc in modum: audaces ante pericula volentes (ea perferre), sed in ipsis deficiunt. Praeterea concinnitas atque usus graeci sermonis requirere videtur ut aut post βούλονται inseramus μὲν illud quod ante θρασεῖς plane nihil est, aut post προπετεῖς, si καὶ omittatur.

Jam totus locus hunc in modum comparatus est: καὶ οἱ θρασεῖς προπετεῖς καὶ βούλονται μὲν πρὸ τῶν κινδύνων κινδυνεύειν, ἐν αὐτοῖς δ' ἀφίστανται, vel προπετεῖς μὲν βούλονται et quae sequuntur.

Eth. 64, 30.

ὥσπερ γὰρ ἐν ἀρχῇ εἴπομεν ἡ ἕξις ταῖς ἐνεργείαις ὁρίζεται καὶ ὧν ἐστίν.

Quum primum haec verba interpretari inceperis, continuo difficultatem inesse in καὶ ὧν ἐστιν animadverteris.

Non profecto acquiesces in Zelli interpretatione qui vertit: „iisque rebus, quarum est habitus"; primum, quia si haec voluit exprimere Aristoteles, τούτοις omittere non potuit, deinde vero, quod multo majoris momenti est, ut et ipsa natura fert et ex libri II. capite primo (p. 23, 1—6) quod hic allegatur apparet, res quarum habitus quidam sit Aristotelis sensu plane nullae sunt, quia hic ipse (ἡ ἕξις) ut ex actionibus (ἐνεργείαις) solis fluit nisi animantibus vindicari non potest. Ita efficitur illam interpretationem contra grammaticam et contra sanam mentem aeque pugnare. Non magis tibi probabitur Rieckheri versio: Denn wie wir zu Anfang sagten wird jede bleibende Beschaffenheit durch den entsprechenden, dem gleichen Gebiete angehörenden Thätigkeiten bestimmt, vertit enim non quae textus exhibet, sed quasi haberemus: ταῖς ἐνεργείαις — ὧν εἰσίν.

Quum ita hi interpretes locum nostrum ad verbum verti non posse quasi taciti confiteantur neque alia hujus rei con-

ditio ulla relicta esse nobis videatur, valde nobis laetandum est. quod unus codex (Parisiensis cf. ZELL II. 128) lectionem quandam asservavit quae ut vulgatae parum dissimilis ita vel maxime loco nostro accommodata est. Omittit enim, quod et ipsi conjecimus, illud *καὶ*, qua omissione omnia jam expedita sunt sensusque hic est: Nam ut initio diximus **habitus** quidam definitur **actionibus eorum quorum** est.

Eth. 124, 27.

λέγω δὲ τὰς θηριώδεις, οἷον τὴν ἄνθρωπον ἣν λέγουσι τὰς κυούσας ἀνασχίζουσαν τὰ παιδία κατεσθίειν, ἢ οἵοις χαίρειν φασὶν ἐνίους τῶν ἀπηγριωμένων περὶ τὸν Πόντον τοὺς μὲν ὠμοῖς τοὺς δὲ ἀνθρώπων κρέασιν τοὺς δὲ τὰ παιδία δανείζειν ἀλλήλοις εἰς εὐωχίαν.

Toto hoc loco ubi *τὸ θηριῶδες* tractatur immanitas semper in immodica vi humano generi illata collocatur, immanes dicuntur qui eo contemtus sui ipsorum generis progrediuntur, ut carne humana vescantur, cujus moris atrocia proferuntur exempla.

Jam mirum est, quod inter talia exempla extremae immanitatis et hoc ipsum profertur gentes quasdam Ponticas adeo esse efferatas, ut **hi crudis**, illi **hominum carnibus** vescantur etc. Talia Aristoteles hoc nexu dicere nequit.

Namque cruda carne vesci tam leve immanitatis specimen est tamque nullo modo aliorum quae hic proponuntur exemplorum atrocitati conferri potest, ut qui hanc rem inter illas commemoret eodem modo risum moturus sit atque is qui parricidarum numero furem ascribat.

An oportuit Aristotelem eas gentes quae tota antiquitate *ἀνδροφάγοι* dicebantur (Pol. 134, 6. Herod. IV, 106) immanitatis accusare, quod non dubitarent vel crudam carnem devorare? Quum igitur oppositio nulla et *ὠμοῖς* seorsum nihil sit, conjungamus hoc verbum, oppositionis signis remotis, sequentibus verbis quibus optime convenit atque legamus:

τοὺς μὲν ὠμοῖς ἀνθρώπων κρέασιν, τοὺς δὲ τὰ παιδία δανείζειν ἀλλήλοις εἰς εὐωχίαν. Ita sane omnia bene esse comparata videntur; sed quoniam ubique oppositiones verborum vel maxime urgere assuevimus, non possumus hic aliam quoque maculam non detegere quae illa non minor non magis adhuc interpretes offendit.

Legimus quidem: uni hominum carne cruda vescuntur, alteri mutuantur inter se liberos ad epulas.

Ubi hic ea oppositio est quae sententiae structura significatur? Quomodo hominum caro liberorum carni opponi potest quarum utraque vescuntur? Num liberorum caro humana non esse videtur?

Vehementer profecto miramur hoc vitium textus vulgati nondum detectum esse, praesertim quum duo codices K[b] M[b] id praebeant quod hic desiderari apparet, *ἀνδρῶν* pro *ἀνθρώπων*, qua lectione statim qua opus est oppositio provenit, virorum et liberorum. Jam totius loci sensus cui unum quodque verbum accomodatum est hic est:

Die Einen betrachten als Hochgenuss das rohe Fleisch geschlachteter Männer, die Andern führen einen Tauschhandel mit Kindern zum Behufe ihrer Schmausereien.

Fortasse in verbo *εὐωχίαν* de cocta carne cogitandum, ita ut vel verbo *ὠμοῖς* suum contrarium non desit, hoc vero cogitari oportere exemplis comprobare non possumus.

Eth. 139, 18—23.

καὶ γὰρ πλουτοῦσι καὶ ἀρχὰς καὶ δυναστείας κεκτημένοις δοκεῖ φίλων μάλιστ᾽ εἶναι χρεία. τί γὰρ ὄφελος τῆς τοιαύτης εὐετηρίας ἀφαιρεθείσης εὐεργεσίας, ἣ γίνεται μάλιστα καὶ ἐπαινωτάτη πρὸς φίλους; ἢ πῶς ἂν τηρηθείη καὶ σώζοιτ᾽ ἄνευ φίλων; ὅσῳ γὰρ πλείων, τοσούτῳ ἐπισφαλεστέρα.

Exponitur quam necesse sit eos qui divitiis auctoritate et potentia praediti sint amicos sibi conciliare et colligere

quorum non minus intersit quam sua, ut ipsorum omnia haec bona propria et perpetua sint.

Conciliantur autem tales amici societate quadam bonorum cum iis communicata, ita ut amicorum una fortuna sit cum eo qui eorum sibi collegerit gratiam itaque fiat, quod Sallustius verae amicitiae proprium esse dicit, ut idem velint, idem nolint.

Quam quidem sententiam loco nostro pronuntiatam sequuntur verba *ὅσῳ γὰρ πλείων, τοσούτῳ ἐπισφαλεστέρα* (sc. *ἡ εὐετηρία*).

In hac enuntiatione offendit primum, quod *πλείων* cum *εὐετηρία* conjunctum est pro *μείζων* quod usitatius est, deinde quod tota sententia hoc nexu ineptissime legitur.

Sententia enim de divitiarum periculis quae quo majores sint eo magis fortunae et deorum invidiae obnoxiae sint, tam vulgaris ac decantata est, ut magna sane causa opus sit, cur quis eam de trivio petat. Ejus vero generis causa hic non extat. Nostro enim loco sententia aliqua opus est quae comprobet non sane magnas divitias fortunae vicissitudinibus magis esse obnoxias quam parvas et modicas copias, sed cur, quod hic summum est, *amici* ut firmissimi bonorum intercessores et optima opum fulcimina omni studio conciliandi et conservandi sint: hoc vero iis quae vulgata praebet lectio verbis non dico non probatur, sed ne tangitur quidem.

Quare non oportet hic nobis repeti et notissimum illud fortunam quo major sit eo *infirmiorem* esse (*ἐπισφαλεστέραν*), sed scitu opus est quomodo ea ipsa *firmior* fiat (*ἀσφαλεστέρα* quod habet M[b]). Hoc autem fit, ut exponit Aristoteles, ea amicitia quae nititur bonorum quadam societate et communitate idque cur?

Quia *plures* magnorum bonorum domini amicitiae vinculis conjuncti melius quod habent tutari possunt quam *unus*; *complurium* dominorum conjunctione boni possessio *firmior* existit atque haecce sententia qua carere non possumus

facillime restituetur, si codicis illius lectione utentes levi praeterea mutatione haec scripserimus:

ὅσῳ γὰρ πλειόνων, τοσούτῳ ἀσφαλεστέρα.

Commendatur igitur hic alio nexu ratio illa qua Aristoteles in Politicorum libro II proverbium quod est κοινὰ τὰ φίλων interpretatur, non ut Plato absolutam quandam rerum privatarum fusionem et communitatem urgens, sed communitatem amica liberalitate consociatam proponens quae quum illius instituti teneat bona nullo ejus prematur incommodo; quam rem illustrat eo communitatis genere quo Lacedaemonii utuntur cf. Pol. p. 29, 15.

Eth. 145, 18—28.

οἱ μὲν γὰρ συζῶντες χαίρουσιν ἀλλήλοις καὶ πορίζουσι τἀγαθά, οἱ δὲ καθεύδοντες ἢ κεχωρισμένοι τοῖς τόποις οὐκ ἐνεργοῦσι μέν, οὕτω δ' ἔχουσιν ὥστ' ἐνεργεῖν φιλικῶς.

Opponitur hic actioni quae fit actio quae non fit, sed fieret, nisi quadam difficultate impediretur: qui loco separati sunt, non possunt amicitiae officiis fungi, ut ii qui una secum vivunt, sed tali sunt voluntate ut, si possent, agerent amice.

Ad hujus modi exprimendam actionem hypotheticam graecus sermo utitur particula ἄν quae saepe etiam cum infinitivo conjungitur.

Nunc vero locus noster talis est, ut, nisi haec vocula inseratur, tota sententia ὥστ' ἐνεργεῖν φιλικῶς omni sensu careat itaque hoc ἄν in illo καὶ quod in codice L^b post ὥστε legitur latere et legendum esse censemus: ὥστ' ἂν ἐνεργεῖν φιλικῶς.

De quo infinitivo cum ἄν conferas velut lexicon Passovianum nuper retractatum quod et exempla et grammaticorum locos affert.

Pol. 1, 21.

ἐπεὶ δὲ φανερὸν ἐξ ὧν μορίων ἡ πόλις συνέστηκεν, ἀναγκαῖον περὶ οἰκίας εἰπεῖν πρότερον· πᾶσα γὰρ πόλις ἐξ οἰκιῶν σύγκειται, οἰκίας δὲ μέρη, ἐξ ὧν αὖθις οἰκία συνίσταται·

Quotiescunque Aristotelis evolvebam Politica, ut sententias ejus de iis rebus explorarem quae ut antiquitus fuerunt, sic hodie quoque magni sunt momenti in rebus civilibus, semper valde mirabar, quod in initio horum librorum ubi exposuit duo potissimum rerum civilium esse elementa, *τὴν οἰκίαν* ejusque *ἀποικίαν τὴν κώμην*, de uno tantum disputavisset, alterum plane neglexisset.

Dixerit quispiam illius vim atque potestatem tantam esse, ut hujus momentum prorsus paene evanescat, qui tam plene de domo ac familia exposuerit, ei de vico cujus vis illis rebus sane quanto superaretur non jam disputandum fuisse. Sed vereor ne hic obliviscatur, ut domus per se nullius momenti omnem suam potestatem familiae debeat quam continet, sic vicum seorsum vilem magnam habere vim, quod tanquam colonia domus sedes cognationum et gentium sit, quae quanti sint aestimandae in rebus et graecis et romanis nemo dubius haerere potest qui eas vel mediocriter tetigit. Ut igitur qui de Romanorum rebus civilibus disputat non solum de familiis, sed etiam de gentibus disputare debet, ita mir~~issim~~um est qui de omnibus rebus graecis plenissime et accuratissime disseruerit eum de rerum domesticarum administratione tantum permulta, de gentiliciis Graecorum rebus (*δῆμος, φρατρία, φυλὴ* et quae sunt *συγγένειαι*) nihil omnino proferre.

Vix recte judicaveris Aristoteli has res non fuisse tanti aestimandas quanti nobis. Hoc enim ut per se minus probabile est, ita refellitur ejus ipsius verbis, quum in Ethicis Nicomacheis p. 151 et 152 accurate pronuntiat, si quod majoris societatis genus vel humanarum vel divinarum sequatur administrationem, id civilis esse scientiae itaque commemo-

rantur 151, 29 *οἱ φυλέται* et *δημόται*, deinde *θιασωτῶν καὶ ἐρανιστῶν κοινωνίαι — πᾶσαι αὗται ὑπὸ τὴν πολιτικὴν ἐοίκασιν εἶναι· οὐ γὰρ τοῦ παρόντος συμφέροντος ἡ πολιτικὴ ἐφίεται, ἀλλ' εἰς ἅπαντα τὸν βίον, θυσίας τε ποιοῦνται περὶ ταύτας συνόδους, τιμὰς ἀπονέμοντες τοῖς θεοῖς καὶ αὐτοῖς ἀναπαύσεις πορίζοντες μεθ' ἡδονῆς — πᾶσαι δὴ φαίνονται αἱ κοινωνίαι μόρια τῆς πολιτικῆς εἶναι.*

Pol. 73, 31. *πόλις ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία ζωῆς τελείας καὶ αὐτάρκους.*

ib. 73, 24. *ἡ τοῦ εὖ ζῆν κοινωνία καὶ ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς γένεσιν.*

Quum clarius ac dilucidius vix exponi possit politicae et rerum gentiliciarum conjunctio, tamenne Aristoteles in Polticis ne vestigium quidem reliquit unde colligatur eum hanc conjunctionem accuratius persequi voluisse? Si quidem Bekkeri lectionem eo quem supra allegavimus loco contra unius codicis auctoritatem retinemus, hoc vestigium in promptu habetur, quamquam a nullo dum detectum est: Verba enim, *ἐπεὶ φανερὸν — περὶ οἰκίας — πρότερον* nisi hoc modo intelligi non possunt:

Postquam expositum est duas esse partes civitatis domum et vicum, jam priore loco de domo et posteriore de vico disputandum est.

Illud *πρότερον* hocce *ὕστερον* continere per se liquet.

Quare qui hanc lectionem sequitur ei judicandum est temporum injuria primum Politicorum librum fragmentum esse factum atque immerito in ejus conclusione legi p. 22, 26:

ἀφέντες ὡς τέλος ἔχοντας τοὺς νῦν λόγους, quia disputatio finem propositum non sit assecuta, *οὐθενὶ γὰρ ἀτελεῖ προσήκει τέλος* Pol. 135, 29. Qui vero hoc concedere non vult, ei refugiendum est in codicis I[b] lectionem:

πρῶτον περὶ οἰκονομίας εἰπεῖν — οἰκονομίας δὲ μέρη, ἐξ ὧν αὖθις οἰκία συνίσταται, quod ita intelligendum:

Postquam disputatio quae est de reipublicae partibus perfecta atque absoluta est, jam primum ad domesticarum rerum administrationem transgredimur tractandam cujus partes hae sunt sqq. Ut jam de lectione codicis Pb verba faciamus, commendari ea his fere causis nobis videtur:

Atque primum scribendum est et περὶ οἰκονομίας non οἰκίας, et οἰκονομίας δὲ μέρη, quia revera ex hoc capite ad finem libri I non amplius de domo, sed de oeconomia ejusque partibus sermo fit quae sunt δεσποτικὴ γαμικὴ τεκνοποιητικὴ χρηματιστική.

Hoc imprimis apparet ex v. 22 ubi Bekkerus habet οἰκίας δὲ μέρη, ἐξ ὧν αὖθις οἰκία συνίσταται.

Dicere enim domus partes eas esse ex quibus rursus domus constet i. e. ex iis constare ex quibus constet, hoc est omnino nihil dicere, quum contra is qui auspicatur de oeconomia disputare rectissime dicat: oeconomiae partes easdem esse quae domus sint i. e. de partibus domus esse administrationem rerum domesticarum.

Deinceps hoc modo illud πρῶτον bene explicatur. Namque omittens utriusque reipublicae partis accuratiorem disputationem ad eam Politicae partem transgreditur quam primam dicit, oeconomiam, altera deinde est de placitis aliorum philosophorum, tertia de optima republica etc.

Jam sequitur longe plurimorum codicum lectionem περὶ οἰκονομίας πρότερον ita solum ferri posse, si putemus illud ὕστερον aliquam κωμονομίαν vel tale quid de rebus gentiliciis nostro exemplo excidisse.

Quum vero in hoc libro nullum tam magnae lacunae extet vestigium, immo expresse in ejus fine absolutum eum et perfectum esse pronuntietur, quum praeterea nusquam ejusmodi politicae pars citetur, sumendum est Aristotelem quamquam non ignorantem, quanti momenti res gentiliciae in rebus publicis essent, tamen eas hoc loco non tractasse. Num eas alias accuratius non exposuerit, nostri judicii non est quibus scriptorum ejus politicorum longe minor pars

conservata sit, quam quae temporum injuria deperdita est. Ita nobis effecisse videmur codicis I[b] lectionem *πρῶτον περὶ οἰκονομίας — οἰκονομίας δὲ* — solam hic ferri posse.

Pol. 12, 15.

ὥστε ὁμοίως δῆλον ὅτι καὶ γενομένοις οἰητέον τά τε φυτὰ τῶν ζῴων ἕνεκεν εἶναι καὶ τἆλλα ζῷα τῶν ἀνθρώπων χάριν.

Quamvis multi extent in Aristotelis Ethicis Nicomacheis et Politicis difficillimi loci in quibus aut explicandis aut corrigendis viri docti omni studio laboraverint, de nullo tamen, ut videtur nobis, tam prorsus desperavere, quam de hoc quem modo allegabamus; nisi forte is desperationis cumulum non attigit, qui, ut Giphanius Victorius Schlosserus hoc loco fecere, ea verba temere ejecerit in quibus omnis versatur difficultas.

Singulare certe est quod, quum omnes fere ex sententiarum nexu in verborum *γενομένοις οἰητέον* locum aliud quid restituendum esse censuerint neque nimis dissenserint, quale universe hoc esse oporteret, nemo tamen aliquid probabile proposuit quod non dico omnes tollat difficultates, sed maximum tantum scrupulum ex animo nobis evellat.

Quod ut fortasse commonstrat hanc in qua priores institerint viam relinquendam aliamque esse muniendam, ita in ipsum sententiarum nexum primum nobis inquirendum est periculumque faciendum, num quid ex eo lucrari possimus.

Atque sermo fit v. 7—22 de alimentis quae natura omnibus animantibus et natis modo et adultis praebeat (*ὥσπερ κατὰ τὴν πρώτην γένεσιν εὐθὺς οὕτω καὶ τελειωθεῖσιν*) et quidem postquam exposuit Aristoteles, quomodo natura prospiciat, ut animantia statim post natum habeant alituram, transgreditur verbis *ὥστε ὁμοίως δῆλον ὅτι καὶ γενομένοις οἰητέον* ad longe aliam quandam sententiam, plantas esse animalium causa, animalia hominum gratia creata.

Haec quidem verba non mutata perpauci ausi sunt vertere, ut vetus ille interpres quem Schneiderus allegat: quare similiter palam quoniam et genitis existimandum plantas animalium gratia esse; quod nil signifiicat nisi aut: weil die Gebornen glauben müssen, dass, aut weil man glauben muss, dass für die Gebornen die Pflanzen der Thiere wegen da sind.

Quarum significationum ad eam quam posteriore loco posuimus proxime accedit Stahrius eo tantum discrepans, quod verbum οἰητέον neglexit ita vertens: so dass sich zweierlei ergibt, einmal, dass für die Gebornen die Vegetabilien der Thiere wegen da sind etc.

Longe plurimi interpretes haec verba ita ut leguntur verti non posse censentes in verbis illis suspicati sunt latere quod ad adulta animantia pertineret, quia superius κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γένεσιν hanc requireret oppositionem.

Hac ratione illud γενομένοις vitiosum esse arbitrati sunt et Conringius qui veterius quoddam vestigium sibi sequi videtur τελειουμένοις corrigendum esse censet, quod quum Montecatinus appropet, Schneiderus, ut mihi videtur, recte τελειωθεῖσι requirit atque in hoc lectione et Schneiderus et Schnitzerus acquiescunt; hic vertit: wenden wir dies auf die Erwachsenen an, so lässt sich daraus abnehmen —, ille: similiter adultis — comparatum esse apparet; atque existimare oportet —

Sed haec sententia his laborat vitiis, primum quod violentissima nititur conjectura pro γενομένοις verbum oppositae significationis (cf. Pol. 135, 30 ἀνδράσι γενομένοις καὶ τελειωθεῖσι) restituendum esse, deinde quod dativum ante οἰητέον inexplicatum plane relinquit, tum quod sententiam quandam introducit quam ineptissimam esse infra liquebit.

Jam ut videtur apparet hanc viam quae nihil firmius et probabilius protulerit quam quod codices praebeant non re-

linqui non posse, nisi forte in iisdem desperationis angustiis atque illi acquiescere velimus qui violentissima conjectura plane nihil difficultatum removerunt.

Omnium primum ea opinio ex qua haec ratiocinatio quasi de fonte suo emanavit, hic de adultis animantibus sermonem fieri oportere, dimittenda est.

Primum enim si, quod Schneiderus in versione voluisse videtur in textu non fecit, interpungimus post *τελειωθεῖσι*, ut praetermittamus quam mira consecutio illa sit *οἰητέον τε*, intelligi non potest, quid hoc sit quod Aristoteles dicat *ὥστε δῆλον ὁμοίως ὅτι καὶ τοῖς τελειωθεῖσι*; quasi appareret ideo, quod natura animantibus statim post natum debilibus et inermibus victum praeberet, etiam adultis quae se ipsa nutrire possunt non minus victum eam praebere oportere.

Deinde si hoc subsidio non utentes illam lectionem retinemus, altera provenit difficultas, quod ineptum est dicere plantas animalium causa esse adultorum, quasi aliis animalibus nondum adultis hoc commodum deesset, praeterquam quod hic dativus pro genitivo quem *τῶν ζῴων* requirit contra grammaticam est.

Nobis quidem propter ipsam illam oppositionem, de adultis sermonem fieri oportere, postquam de modo natis expositum sit, non negamus, sed quum hoc in eo enuntiato fieri non posse comprobavimus in quo nunc versamur, nil nobis reliquum est nisi, ut lacunam hic esse sumamus in qua commonstratum sit primum, qua ratione natura etiam adultis animantibus prospiciat, deinde cur plantae animalium et animalia hominum causa sint, quod quidem sine ratiocinatione *δῆλον* esse non temere judicaveris. Utrumque continetur illo *ὥστε δῆλον* neque ad hanc lacunam tollendam suffecerit, si attuleris illud 20–22 *εἰ ἡ φύσις μηδέν*, namque haec quoque sententia requirit demonstrationem quandam, plantarum et bestiarum mundum *ἀτελῆ* et *μάταιον* esse, nisi homo iis utatur.

Hac igitur una fallaci opinione sublata quacum alia omnia cadunt jam progredi possumus ad aliam correcturam et interpretationem statuendam.

Et quidem nos ut legentem statim in mediam rem ducamus legendum esse censemus: *δῆλον ὅτι τοῖς γινομένοις πειστέον*, quam conjecturam et a verbis et a re confirmaturi sumus.

Τὰ γινόμενα, ea quae fiunt, notio ab Aristotele usitatissima atque ab ejus philosophica ratione aptissima est. Contra Platonis rationem qui ad probandam placitorum veritatem testatur res quae sunt (*τὰ ὄντα, εἴδη*) quas Aristoteles recte dixit non vere esse, sed mere cogitari, Aristoteles in confirmandis decretis duos semper testes audit, logicam et historicam, leges cogitandi et experientiam, quarum consensus demum verum quiddam esse convincat.

Ita opponuntur inter se *ὁ λόγος* et *τὰ ἔργα*, sive *τὰ γινόμενα*, facta sive quae fiunt, quae alias dicuntur *φαινόμενα* (v. augenscheinlich).

cf. Pol. 94, 20 et 28. 102, 3 et 32 106, 26. 138,8.
107, 2 *διά τε τῶν λόγων καὶ τῶν γινομένων.*
122, 2. *μαρτυρεῖ τὰ γινόμενα τοῖς λόγοις.*
139, 3. *καλῶς λέγουσι* — 4. *λαμβάνουσι γὰρ τὰ μαρτύρια τῶν λόγων ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων.*

Eth. 118, 11 *οὗτος μὲν οὖν ὁ λόγος ἀμφισβητεῖ τοῖς φαινομένοις ἐναργῶς.*

Hoc modo hic efficitur sensus loci nostri: So ergiebt sich gleichermassen, dass man dem Augenschein gemäss glauben muss —.

Hanc autem sententiam hoc loco proponi nemo mirabitur qui sciat hodie quoque multos viros doctos ex eo, quod hominis utilitati cetera omnia servire usus quotidianus doceat, convincere haec omnia tantum hominum gratia procreata esse. Una difficultas quae conjecturae nostrae obstare videtur haec est, quod *πείθεσθαι* hic cum dativo rei non per-

sonae, quod usitatius est, conjungi censemus; sed quum reputaveris et *πείθεσθαι λόγοις* usitatissimum esse et, ut Eth. 122, 2 (*μαρτυρεῖ τὰ γινόμενα τοῖς λόγοις*) habes *τὰ γινόμενα* testis cujusdam vice usurpari [cf. quoque Xen. *περὶ προσόδων* 1, 3 *αὐτὰ τὰ γινόμενα μαρτυρεῖ*] non jam miraberis hanc *προσωποποιίαν*.

Pol. 29, 15 sqq. *ἰδίαν γὰρ ἕκαστος τὴν κτῆσιν ἔχων τὰ μὲν χρήσιμα ποιεῖ τοῖς φίλοις, τοῖς δὲ χρῆται κοινοῖς, οἷον καὶ ἐν Λακεδαίμονι τοῖς τε δούλοις χρῶνται τοῖς ἀλλήλων ὡς εἰπεῖν ἰδίοις, ἔτι δ' ἵπποις καὶ κυσίν κἂν δεηθῶσιν ἐφοδίων, ἐν τοῖς ἀγροῖς κατὰ τὴν χώραν.*

Agitur in eo capite ex quo hunc excerpsimus locum, de ea bonorum communitate quae quum omnia commoda Platonici illius praecepti tum nulla incommoda habet, de ea communitate quae amicitiam domesticae utilitati anteponit atque sociabili quodam modo non legis vi res privatas reddit publicas et communes.

Talis communitatis exemplum exhibet illud Lacedaemoniorum institutum.

Apparet sane primo oculorum obtutu locum nostrum perlegentibus desiderari in textu rem quandam quae ut servi equi canes communem praebeat usum iis qui per agrum Laconicum iter facientes subita viaticorum inopia oppressi sint.

Atque primum quidem Victorius monuit qui, quid addendum esset, investigarent iis imprimis locum Xenophontis de rep. Lac. VI 4 tenendum esse: *ὅπου γὰρ ἂν ὑπὸ θήρας ὀψισθέντες δεηθῶσι τῶν ἐπιτηδείων ἢν μὴ συνεσκευασμένοι τύχωσι καὶ ἐν ταῦθα ἔθηκε τοὺς μὲν πεπασμένους καταλείπειν τὰ πεποιημένα, τοὺς δὲ δεομένους ἀνοίξαντας τὰ σήμαντρα λαβόντας ὅσων ἂν δέωνται σημηναμένους καταλείπειν.*

Hunc locum et Plutarcheum locum [Inst. Lac. p. 252] secutus nuperrime Leutschius in Philologo (1860 p. 434) conjecit post ἐφοδίων supplendum esse ταμείοις sive ταμιείοις.

Haec conjectura optime ferri posset, dummodo unum signum codices exhiberent hic vel omnino aliquid vel tale quiddam excidisse; quum vero neutrum fiat quumque lacunam id genus ponere eorum sit qui de codicum auctoritate plane desperaverint, omnia prius suscipienda sunt, quam in hoc remedium ambiguum descendamus.

Nobis vero hic ejusmodi desperationis locus non esse, immo levi vocula omissa melius ei subveniri posse videtur, legendo κἂν δεηθῶσιν ἐφοδίων, τοῖς ἀγροῖς κατὰ τὴν χώραν sc. χρῶνται ὥσπερ ἰδίοις i. e. fruuntur alienis frugibus ut suis.

Hac quidem omissione tria lucramur, primum quod levi commutatione orationis concinnitas restituitur, deinde quod molestus pleonasmus ἐν τοῖς ἀγροῖς κατὰ τὴν χώραν ubi aut ἐν τ. ἀγρ. aut κ. τ. χώρ. abundat tollitur, tum quod, ut apparebit statim, sensu haec lectio aptissima est.

Illa enim ταμιεῖα certo non solum eorum in commodum instituta erant qui in venatione derelicti essent, ut ex Xenophonteo illo loco fortasse collegeris, sed ratio hujus instituti non nisi haec esse potuit, ne, si qui Lacedaemonii in Laconia iter facientes vel venationis causa vel alio consilio in viaticorum inopiam incidissent, carerent cibariis quumque in tanta illa urbium penuria qua Laconia semper laborabat tale quiddam perfacile accidere posset, hoc erat publice provisum, ut per agros Lacedaemonios horrea quaedam ponerentur sustentarenturque quae cuivis civi Lacedaemonio patebant; quae quum appareat ex civium agris expleta et suppeditata esse, de hoc instituto recte dici potest: in itineribus cives civium agris ut suis utebantur.

Haec ratio nobis tenenda est, si putamus loci nostri

verbis horrea illa publica non significari non posse, neque ita quidem lectio nostra quidquam habet difficultatis.

Sed cur non sumamus Lacedaemoniis omnino licuisse in itinere civium suorum agris quadam ratione ut suis uti, imprimis si reputemus ejusmodi horrea non ubivis in promptu esse potuisse atque certis quibusdam anni temporibus fruges de agris et hortis decerptas multo potiores fuisse quam eas quae fortasse per totius anni tempus conditae in horreis latuerant? Vehementer nos laetamur, quod haec conjectura per se veri similis Xenophontis insuper verbis confirmatur qui capitis illius quod supra allegavimus fine haec scribit: *τοιγαροῦν οὕτως μεταδιδόντες ἀλλήλοις καὶ οἱ τὰ μικρὰ ἔχοντες μετέχουσι πάντων τῶν ἐν τῇ χώρᾳ ὁπόταν τινός δεηθῶσιν.* Apparet ex his verbis Xenophontem loco nostro non de illis *ταμιείοις* solis disputare, sed de licentia soluta quae ad quemvis Lacedaemonium civem pertinebat quidquid in itinere vellet ad hoc illudve desiderium satiandum sumendi.

Pol. 35, 22–24.

ὀλιγαρχικῆς δ' οὔσης τῆς πολιτείας ἄριστα ἐκφεύγουσι τῷ πλουτεῖν, ἀεί τι του δήμου μέρος ἐκπέμποντες ἐπὶ τὰς πόλεις· τούτῳ γὰρ ἰῶνται καὶ ποιοῦσι μόνιμον τὴν πολιτείαν.

Hujus loci qui quam difficilis sit explicatu uno oculorum obtutu intellexeris nexus atque sensus hic est: Carthaginienses de quorum civitate in hoc capite sermo fit laudantur, quod ea quae ex oligarchiis redundare soleant mala optime sciant sanare. Hoc universe dici potest ex loco nostro apparere: sin vero accuratius inquisiveris, quodnam malum hic notetur atque quodnam remedium proponatur, jam ipsam hujus loci difficultatem quasi acu tetigeris.

Namque locus noster, quocunque eum vertis modo, si verborum propriam sequeris vim ac potestatem, neque illi

neque huic quaestioni ita respondet, ut contentus sis. — An quid ejusmodi loco agendum est qui, ut Giphanius verbum ex verbo vertit, haec exprimit: republica autem oligarchica facile effugiunt divitiis semper partem aliquam populi emittentes ad oppida.

Schneiderus qui veterum interpretum versiones enumerat (comment. p. 154) hic annotat inepte Giphanium vertere; ut nobis videtur minus merito, quia is qui ineptum textum ita vertit, ut verborum fert sensus, non ipse ineptias agit. Sed quin hoc enuntiatum ipsum ineptum est quis dubitet?

Legimus oligarchos Carthaginienses facile effugere, quid effugiant non legimus; legimus divitiis eos effugere aliquid neque vero intelligimus, quid huic verbo commune sit cum insequenti enuntiationis parte quae quasi explicationis causa adjecta est, quomodo mali cujusdam remedium divitiae haberi possint, si semper pars aliqua populi emittatur ad oppida.

Hoc quidem omnes viderunt interpretes primum ad ἐκφεύγουσι accusativum quendam affigendum esse, ut grammaticis regulis satisfieret. Et quidem Aretinus proposuit illud i. e. oligarchos dicit effugere oligarchiam, quod quomodo fieri possit Heinsius his verbis explanare sibi videtur: ceterum in multis ipsos ad imperium paucorum contra institutum proprium quotidie delabi ipsi quoque intelligunt; ideoque et huic rei medicinam excogitarunt ipsi. Et haec propositio supplendi et haec explicatio sunt hominis et rerum civilium imperitissimi et a recta hujus loci aestimatione alienissimi.

Primum enim in ea civitate ubi pauci cives tantum pollent, ut suo arbitratu vel hanc vel illam partem non populi sed plebis (τ. δήμου) emittant, quae nisi emittatur discidii formidinem obtendit, nemo jam est qui hanc rerum publicarum speciem ubi pauci illi omnia possunt, multitudo nihil, aut a parte oligarchorum mutare velit, nisi in malam partem, aut a plebis parte mutare possit. An quis oligarchorum naturam tam ignoret, ut putet eos ipsos suum principatum malorum publicorum habere numero quibus omnibus modis

repugnandum sit? Aristoteles quidem non ita censet, immo dicit Pol. p. 181, 31 ἀεὶ γὰρ ζητοῦσι τὸ ἴσον καὶ τὸ δίκαιον οἱ ἥττους, οἱ δὲ κρατοῦντες οὐδὲν φροντίζουσιν.

Deinde quae Heinsius addit quaeque ei addenda erant, ut illa intelligeretur »medicina«, plane non conveniunt. Quum enim dicit: semper enim aliquos e populo in vicinas ablegare solent civitates, ut rem ibi faciant nimirum atque ex praefecturis aut ex agris quos assignant pinguiores fiant; — id affert remedium contra oligarchiam, quod ipsi oligarchi adhibere hoc animo non poterant quo Heinsius putat. Quum enim ita divitum civium augetur numerus, oligarchia quae eo nititur, ut paucorum manibus opes teneantur, in dies magis infringitur et debilitatur.

Oligarchis sane qui domesticam utilitatem non ignorant nihil ejusmodi agendum est, immo quum iis semper hoc sit timendum, ne multitudo plebis increscat atque dissensione quadam facta dominatum molestum superiore vi expellat, hoc primum civilium artium praeceptum est, ut quum primum plebis multitudo eum numerum egressa est quem sibi domare posse videntur, statim unam ejus partem emittant, quamdiu hoc possint; quae emissio haud dubie summum est, num vero emissi divites fiant necne oligarchos minus refert.

Ex hac nostra ratiocinatione apparebit momentum hujus actionis non esse singularem quandam liberalitatem, ut Heinsius putat, sed necessitudinem absolutam itaque quod Carthaginienses oligarchi fecerint non ad tollendam oligarchiam aliquid collaturum fuisse sed aptissimum ejus fulciendae atque confirmandae modum fuisse. Ita nobis demonstrasse videmur primum conatum id quod deest supplendi concussum esse nexus atque argumenti causa; restat vero etiam in textu difficultas quae illa interpretatione non solvitur, dico illud πλουτεῖν.

Effugiunt eo quod divites sunt emittentes etc. plane nihil est itaque meritissimo Schneiderus arbitratus est hic

corruptelam extare cujus remedium conjectura assequendum sit. Atque ille quidem ex vestigio apud veterem quendam interpretem invento qui habeat indicando Aretinum et Victorium acute collegisse et hic inditando latere et in nostrum textum πλουτίζειν recipiendum esse agnoscit. Cum hac interpretatione et correctura optime congruere recte vidit Schneiderus quae legimus p. 186, 32: τοιοῦτον δέ τινα τρόπον Καρχηδόνιοι πολιτευόμενοι φίλον κέκτηνται τὸν δῆμον· ἀεὶ γάρ τινας ἐκπέμποντες τοῦ δήμου πρὸς τὰς περιοικίδας ποιοῦσιν εὐπόρους.

Ita omnia bene se habere videntur, quum conjectura acutissime comparata aptus provenerit sensus — sed nondum expleta est lacuna illa post ἐκφεύγουσι, quod dum fiat, de tota conjectura vehementer dubitandum est.

Ut omnino res difficillima est ex ingenio scriptoris cujusdam lacunam aliquam explere, quia ad interpretum libidinem redit quorum quot capita tot sententiae, ita hic quoque qui conati sunt quod ipsis deesse videbatur supplere nil nisi tenue quoddam et quasi ultimum subsidium proposuere. Victorius in versione supplevit τὸν φθόνον, Ramus difficultates, simile quiddam Stahrius et Schnitzerus qui quidem vertit:

So oligarchisch nun auch ihre Verfassung ist, vermeiden sie doch die Nachtheile davon sehr leicht dadurch, dass sie immer einen Theil des Volks in die Städte umherschicken und ihn dadurch bereichern.

Status igitur hujus loci is est, ut conjectura aliqua seorsum aptissime comparata una difficultas remota esse videatur, altera resideat, id est correctura difficultatis nulli dum tam plene contigit, ut non jam sperari liceat etiam alia ratione ei subveniri posse. Omne punctum certe is demum tulerit qui utramque difficultatem facile expediverit. Nos quidem in tractando hoc loco ex ea profecti sumus cogitatione cujus jam supra fundamenta adumbravimus, hic summi momenti esse plebis multitudinem ejusque allevationem et

attenuationem in emittendis quibusdam plebis partibus Carthagine idem consilii habuisse quod aliis locis coloniarum deductionem habuisse constat, nempe ut civitas liberaretur eorum hominum multitudine qui non jam compotes quaestus faciendi praesenti reipublicae forma incontenti et novarum rerum imprimis novarum tabularum cupidi principibus gravem timorem atque angorem injiciunt, ne eorum libidine civilia instituta subvertantur omniaque misceantur et perturbentur.

Sin autem oligarchi Carthaginienses etiam hoc providebant, ut emissis civibus divitiarum comparandarum copia esset, hoc prudenter ideo faciebant, quod hoc modo quos jubebant extorres fieri libentius obtemperabant atque si peregre votorum compotes erant facti non cupiebant, ut domesticae res novarentur.

Totum igitur oligarchorum artificium id consilii habebat, ne plebis multitudo nimis incresceret utque, si plebs superior fieri videretur, huic incremento statim mederentur coloniis deducendis unde ad inopes magnae divitiae redundare possent.

Ita mihi de hac re cogitanti in *τῷ πλουτεῖν* id latere videbatur quod effugere debent *οἱ ὀλίγοι*, plebis incrementum.

Jam vero haec res graeco verbo *πληθύειν* exprimitur quod apud Aristotelem et cum genitivo conjungitur abundandi sensu (p. 47, 14 *πληθύειν ἀνδρῶν τὴν πόλιν* p 127, 9 *ἡ τοῦ γάλακτος πληθύουσα τροφή*) et absolute usurpatur ut p. 125, 10 ubi *σῶμα πληθῦον ἔτι* id corpus dicitur quod etiam nunc increscit. Idem usus apud Platonem (legg. 3 p. 652 C et 678 B) invenitur ubi legimus *πληθυόντων τῶν ἀνθρώπων*, quum hominum multitudo incresceret.

Quare ut hoc verbum in *πλουτεῖν* facillime latere potest ob literarum similitudinem, ita aptissimum sensum fundimus legentes:

ἐκφεύγουσι τὸ πληθύειν ἀεί τι τοῦ δήμου

μέρος ἐκπέμποντες et quae sequuntur. Jam vero quaeritur et, quomodo hoc *πληθύειν* constructum esse censeamus et, num tam nude poni liceat. Si mere *τὸ πληθύειν* scribimus et cogitatione *τὸν δῆμον* affingimus, ea existit difficultas, quod hoc verbum non nisi ex insequenti *τοῦ δήμου* suppleri potest; id quod hoc loco parum probabile est, quamquam per se *ὁ δῆμος πληθύει*, ut exempla docent relata, perbene dici potest. Quare alteram hujus verbi structuram praeferimus qua *πληθύειν* cum genitivo conjungitur et censemus illud *τοῦ δήμου* post *πληθύειν* ponendum esse, ut et ad antecedens verbum et ad *ἀεί τι μέρος ἐκπέμποντες* pertineat, quae transpositio eo probabilior est, quod, quum semel *τῷ πλουτεῖν* in textum irrepsit, hic genitivus hoc loco ferri non jam potuit.

Ita quidem legimus: *ἐκφεύγουσι τὸ πληθύειν τοῦ δήμου ἀεί τι μέρος ἐκπέμποντες ἐπὶ τὰς πόλεις*, vernacule: sie vemeiden die Zunahme an Volk, indem sie stets einen Theil in ihre Städte aussenden.

Ad argumentum hujus loci illustrandum pertinent Sallusti verba (Jug. 19): Postea Phoenices alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperii cupidine, sollicitata plebe et aliis novarum rerum cupidis, Hipponem, Adrumetum, Leptim aliasque urbes in ora maritima condidere.

Pol. 67, 11--15.

-- *εὐποροῦντες δ' ὄχλου κατὰ μικρὸν παραιροῦνται τοὺς ἐκ δούλου πρῶτον ἢ δούλης, εἶτα τοὺς ἀπὸ γυναικῶν· τέλος δὲ μόνον τοὺς ἐξ ἀμφοῖν αὐτῶν πολίτας ποιοῦσιν.*

Agitur hic de civitatum more quodam quo, quum germanorum civium penuria laborant, alienigenas ad civium jura et officia asciscunt; quum vero haec penuria remota est, paullatim circumcidunt atque amputant ejusmodi hominum numerum atque postremo eos solos retinent qui ex utroque

parente cives nati sunt. Quare, ut ratione et via quadam progrediantur, primo eos excludunt qui vel ex servo vel ex ancilla nati sunt, deinceps eos qui a matris solius parte cives sunt, postremo eos tantum agnoscunt qui ex utroque parente cives sunt nati.

Hunc loci nostri sensum esse omnes interpretes recte consentiunt eo tantum dissentientes, num *αὐτῶν* cum codicibus omnibus legendum, an *ἀστῶν* cum Perizonio corrigendum sit. Hac ex parte sentiunt Schneiderus Coraius Bekkerus, ex illa Goettlingius et Stahrius; veteriores interpretes utra ex parte steterint vix accurate discreveris.

Vide quomodo qui codicum auctoritatem sequuntur illud *αὐτῶν* interpretentur. Stahrius quidem vertit: »Die von beiden Seiten aus ihrer Mitte sind« qui ex utroque parente ipsorum sunt, ita ut non *ἐξ ἀμφοῖν* cum *αὐτῶν* conjungatur, sed participium *ὄντας* cogitatione suppleatur.

Hoc quidem bene excogitatum est, sed contra grammaticam pugnare videtur, nam illud *ὄντας* quomodo hoc nexu deesse liceat vix explicaverit Stahrius.

Quum vero concedendum sit de hac necessitudine diverse cogitari posse, hoc nobis prospere evenit, quod alteram rationem habemus qua codicum lectionem retineri non posse manifesto appareat.

Quid enim sibi velit *ἐκ γυναικῶν*, si legamus *αὐτῶν*, hi interpretes nullo modo nobis explicabunt. Omnes sane hoc ipsum vertunt per »die von mütterlicher Seite bürgerlich sind«, quamquam in *ἐκ γυναικῶν* nihil inest quod ad *γνησιότητα* matrum pertineat, immo *γυναικῶν* seorsum positum ineptum est, quia nihil oppositionis habet contra illud *ἐκ δούλης*, quum ancilla non minus mulier sit quam ingenua quaedam. Sola conditio qua *γυναικῶν* suum obtineat sensum haec est, ut supplere possimus *ἀστῶν* in quo ea quae hic requiritur oppositio inest, id quod fit, si in posteris legimus *ἐξ ἀμφοῖν ἀστῶν*.

Pol. 94, 30.

πᾶν δὲ τὸ χρήσιμόν ἐστιν ὧν τὴν ὑπερβολὴν ἢ βλάπτειν ἀναγκαῖον ἢ μηθὲν ὄφελος εἶναι αὐτῶν τοῖς ἔχουσιν.

Sermo fit toto capite de differentia rerum utilium quae ad vitae usum et rerum honestarum quae ad virtutem pertinent. Atque illarum quae ad corporis satianda desideria comparandae sunt hoc proprium esse dicitur, quod, etsi immodica earum copia quae illa desideria longe superat aut nocet aut certe inutilis est, tamen vulgo homines fluxae istius possessionis insatiabili agitantur cupiditate.

Haec quidem rerum utilium (*τῶν χρησίμων*) proprietas eo quem nos excerpsimus loco una ex parte exprimitur, sed verbis, ut apparet, mutilis.

Atque primus hic aliquid mutandum esse censuit Schneiderus qui Aretini »qui verbum ex verbo reddere solet« secutus versionem, »omne autem utile tale est, ut excessus vel noceat habenti vel certo nil prosit« rectissime illud *αὐτῶν* improbat, sed ob causam quandam, ut videtur, minus rectam. Non enim ideo ejiciendum est, quod non conveniat ad singularem *πᾶν χρήσιμον* quo plane non pertinet, immo quia utilium possessio non per se aut nocet aut nil prodest, sed excessus, possessio abundantiae harum rerum, aut *αὐτῆς* (sc. *ὑπερβολῆς*) scribendum aut nihil scribendum est, quod Stahrius cum Paris. I facit; utrum nos faciamus ex ea pendet ratione qua illud *πᾶν δὲ τὸ χρήσιμόν ἐστιν ὧν* sqq. explicabimus.

Haec verba, si verbum ex verbo reddimus, hoc significant: totum autem (non omne vel quidquid quod veteres habent interpretes) utile est (eorum) quorum excessum oportet aut nocere aut nihil prodesse habentibus.

Istud totum utile aut non animadverterunt interpretes aut, si animadverterunt, hoc nihil esse sentientes verterunt non quod legebant, sed quod legendum esse putabant, i. e. *πᾶν δὲ χρήσιμόν ἐστιν*. Sin vero ita scribimus, restat

illud ὧν quod nos cogit languidum illud definiendi genus perferre quo non dicitur quid sit utile, sed quorum sit. Nihil nobis relictum esse videtur, nisi ut ad grammaticam et sensum loci aeque nos applicantes τὸ χρήσιμον subjecti, πᾶν praedicati vice sumamus et pro ὧν scribamus οὗ, ita ut sententia haec sit: Alles das aber ist das Nützliche, dessen Uebermass — etc.

Jam etiam devenimus ad vocabulum αὐτῶν quod aut corrigendum aut ejiciendum esse demonstratum est; omissio ejus quidem minus nobis probatur, quia ὄφελος genitivum requirit qui, quum in ὑπερβολὴν non insit, in αὐτῆς restituendus esse videtur, etsi hac scriptura constructio sententiae aliquanto impeditior fit.

Pol. 98, 18.

— ὥσπερ οὐδὲ θηρεύειν ἐπὶ θοίνην ἢ θυσίαν ἀνθρώπους, ἀλλὰ τὸ πρὸς τοῦτο θηρευτόν· ἔστι δὲ θηρευτὸν ὃ ἂν ἄγριον ᾖ ἐδεστὸν ζῶον.

Sermo fit loco nostro non de iis animalibus quae omnino ad venationem pertinent, sed de iis quae epularum et sacrificiorum causa venantur homines; quae res quum summi momenti sit, tamen neglecta est, ita ut etiamnunc verba in textu legantur quae neque hic neque ullo alio loco ferri possint. Dicit enim Aristoteles contra naturam esse eorum hominum venationem qui quae ad epulas apta non sint velut homines ipsos consectentur, non ea quae huic rei a natura constituta sint. Hanc sententiam sequuntur verba ἔστι δὲ θηρευτὸν ὃ ἂν ἄγριον ᾖ ἐδεστὸν ζῶον, ut omnes editores plurimos codices sequentes exhibent, quod absurdum esse cur intellectum non sit plane non videmus.

An venationem subeunt non nisi ferae esculentae, non etiam bestiae rapaces quibus nemo unquam vesci cogitabit, ut leones lupi vulpes aliae?

Apparet igitur definitionem illam absonam esse. Huc

accedit, quod omnino nemo definitionem aliquam animalium venationi aptorum desiderat, nedum in tam absurda descriptione acquiescat, sed de iis sermo fit animalibus quae epulis et sacrificiis ex usu sunt.

Est igitur aut legendum *ἔστι δὲ πρὸς τοῦτο* (i. e. *εἰς θοίνην ἢ θυσίαν*) *θηρευτὸν ὃ ἂν* et quae sequuntur, aut cum codice S[b] verba *ἔστι δὲ θηρευτὸν* omittenda, quod nos et brevitatis gratia et quia illud *ἔστι* -- *ὃ ἂν ᾖ* displicet, multo praeferimus.

Nunc demum omnia bene se habent, quum legimus: zum Beispiel darf man auch nicht zum Behufe von häuslichen oder heiligen Festmahlen Menschen jagen, sondern das zu diesem Zwecke allein Jagdbare, welches im essbaren Wilde (Wildpret) besteht.



Druck von W. Wiese in Heidelberg.



